

**Landesbibliothek Oldenburg**

**Digitalisierung von Drucken**

**Phaedri Avgusti Liberti Fabvlarvm Aesopiarvm Libri V.**

**Phaedrus**

**Rintelii, MDCCXXXVIII**

**VD18 13044567**

Liber III.

**urn:nbn:de:gbv:45:1-17134**

laudis et ingenii certamine habebit aemulatores, quos Graecis obtrectatoribus suis opponere possit. Sin liuor etiam ciuium nostrorum propter laborem hunc existimationi detrudere maluerit: laudis tamen ipse mihi sum conscius. Fama certe quaedam, Lector beneuole, de studio nostro fuerit ad te delata, et cognosces, arte metrica descriptas a nobis esse fabulas. Sic mihi persuadeo, fore, ut in aequo arbitri iudicio, et bene factorum conscientia posita felicitas omnem auferat de maleuolis querelas. At si doctus ille labor meus ab illis tantum legetur, qui destituti sunt rationis meliori sensu, ut artis ignari, eiusque offores, optima quaeque calumniari studeant: quandoquidem pro captu lectoris habere solent sua fata libelli: ego stultitiam hanc aequo animo perferam, iniuriasque ut plurimum respiciam generoso contemptu: quoad fortunam ipsam sui sceleris poeniteat.

### LIBER III.

#### *Prologus ad Eutychem.*

Phaedri libellos legere si desideras,  
 Vaces oportet, Eutyche, a negotiis,  
 Ut liber animus sentiat vim carminis.  
 Verum, inquis, tanti non est ingenium tuum,  
 Momentum ut horae pereat officii mei.  
 Non ergo caussa est manibus id tangi tuis,  
 Quod occupatis auribus non conuenit.  
 Fortasse dices: aliquae venient feriae,  
 Quae me soluto pectore ad studium vocent.

Le.

Legesne quaeso potius viles naenias, 10  
 Impendas curam quam rei domesticae,  
 Reddas amicis tempora, vxori vaces,  
 Animum relaxes, otium des corpori,  
 Vt assuetam fortius praestes vicem?  
 Mutandum tibi propositum est et vitae genus,  
 Intrare si Musarum limen cogitas.  
 Ego, quem Pierio mater enixa est iugo,  
 In quo tonanti sancta Mnemosyne Ioui  
 Foecunda nouies artium peperit chorum;  
 Quamuis in ipsa natus sim pene schola, 20  
 Curamque habendi penitus corde eraserim,  
 Et laude inuita in hanc vitam incubuerim,  
 Fastidiose tamen in coetum recipior.  
 Quid credis illi accidere, qui magnas opes  
 Exaggerare quaerit omni vigilia, 25  
 Docto labori dulce praeponens lucrum?  
 Sed iam quodcunque fuerit (vt dixit Sinon  
 Ad Regem, quum Dardaniae perductus foret)  
 Librum exarabo tertium, Aesopi stilo,  
 Honori et meritis dedicans illum tuis. 30  
 Quem si leges, laetabor; sin autem minus,  
 Habebunt certe, quo se oblectent posteri.  
 Nunc fabularum cur sit inuentum genus,  
 Breui docebo. Seruitus obnoxia  
 Quia, quae volebat, non audebat dicere, 35  
 Affectus proprios in fabellas transtulit,  
 Calumniamque fictis elusit iocis.  
 Ego porro illius semitam feci viam,  
 Et cogitavi plura, quam reliquerat,  
 In calamitatem diligens quaedam meam. 40  
 Quod si accusator alius Seiano foret,

Si

Si testis alius, iudex alius denique:  
 Dignum faterer esse me tantis malis,  
 Nec his dolorem delenirem remediis.  
 Suspicionem si quis errabit sua, 45  
 Et rapiet ad se, quod erit commune omnium,  
 Stulte nudabit animi conscientiam:  
 Huic excusatum me velim nihilominus,  
 Neque enim notare singulos mens est mihi, (re.  
 Verum ipsam vitam et mores hominum ostende  
 Rem me professum dicet fors aliquis grauem.  
 Si Phryx Aesopus potuit, Anacharsis Scytha  
 Aeternam famam condere ingenio suo:  
 Ego literatae qui sum propior Graeciae,  
 Cur somno inertis deseram patriae decus?  
 Threissa cum gens numeret auctores suos,  
 Linoque Apollo sit parens, Musa Orpheo,  
 Qui saxa cantu mouit, et domuit feras,  
 Hebrique tenuit impetus dulci mora.  
 Ergo hinc abesto, liuor, ne frustra gemas: 60  
 Quoniam mihi solemnis debetur gloria.  
 Induxi te ad legendum; sincerum mihi  
 Candore noto reddas iudicium peto.

*Maxima ex otio Musarum voluptas.*

Si qua, Eutyche, flagras Phaedri legendi  
 cupiditate: ab aliis negotiis te liberum esse  
 oportet: ut carminis vim atque suauitatem,  
 nulla re impeditus, persentire queas. At, in-  
 quies, tanti non sunt ingenii tui figmenta, ut  
 vel tantillum temporis, recedens a munere pu-  
 blico, illorum lectioni impendam. Praestat ergo,  
 te prorsus nihil attingere, quod auribus clien-  
 tum

tum voce nimium occupatis non conuenit. Aut dices, veniet tempus magis idoneum atque otium, quo liber ab illis curis, quae nunc meum animum opprimunt, ad literarum me referam studia. Sed, obsecro te, legesne maiori cum voluptate animi carmina inepta quaevis et incondita, quae a praeficis in funeribus cantantur: quam capies ab rerum domesticarum cura; aut amicorum consortio si tempus transigas; coniugis obsecundes placitis; animum relaxes, tuoque corpori indulgeas quiescenti, ut, viribus reparatis, maior post otia virtus, quod subeundum, perfungatur munere? Alia tibi ineunda est vitae ratio: si bonis artibus dare operam, atque Musis uti paulo familiarius cupis. Equidem in ipsa Musarum sede, montibus Thessaliae, sum natus: vbi felix Mnemosyne Iouem doctissimarum nouem sororum pulcherrima prole parentem fecit. Vt ut vero in ea pene omnium disciplinarum iucundissima schola spiritum ducere primum coepi: nulla prorsus me mouit diuitiarum cupido: studioque indefesso literis, ad laudem non poenitendam, auidius incubui: vix tamen, ac ne vix quidem, Musarum licet mihi nunc intrare sacrarium: ut communem, quae illis summa est, carminum voluptatem sentiam. Quid putas futurum esse illis, qui semper in augenda pecunia sunt occupati, ac deprauantur adeo habendi cupiditate, ut, neglectis cum artibus ingenuis, felicitatem summam in summis diuitiis omni cura et industria quaerant?

D

rant?

rant? Sed quoquo se res habeat modo, atque,  
 vt Sinon, ad Dardaniae regem perductus, dixit,  
 quodcunque olim erit laboris fatum; tertio li-  
 bro prosequar iam Aesopi fabulas: quem tibi,  
 lector beneuole, honoris atque meritorum cau-  
 sa, dicabo. Nostra si tibi opella placet: tua gra-  
 tia laetabor. Sin lectione minus eam habebis  
 dignam: posteritati relinquam tamen, quo se  
 aliquando oblectare possit. Paucis edisseram  
 nunc, quae fuerit ratio inueniendae fabellae.  
 Cum Aesopus seruus plagis et calamitatibus  
 suis esset obnoxius, neque dicere auderet, quae  
 vellet: sententiam suam, et quicquid fieri ex-  
 pediat, sine offensione figmentis docere insti-  
 tuit. Illius vestigia secutus ego rem cultiorem  
 reddidi: et plures, quam ille reliquit, excogi-  
 tauit fabulas: quasdam ad calamitatem etiam  
 meam explicandam elegi. Si me alius accu-  
 saret, quam Seianus, si testis esset alius atque  
 iudex: vltro me profiterer tantis malis esse di-  
 gnum: neque in hoc genere mihi doloris re-  
 media pararem. Si quis falsa suspicione in se  
 dictum putet, quod aliis plerisque commune  
 vitium est: conscius ipse sibi, qui de se putat  
 omnia dici, malitiam animi stultitiamque pro-  
 dit. Ego vero illi etiam me excusatum velim.  
 Nam figillatim soleo reprehendere neminem  
 sed vitam moresque hominum, velut in specu-  
 lo, ostendere. At, forsan dicet aliquis, nimium  
 publico polliceris, quod praestare vix poteris;  
 in te suscipis certe negotium graue. Si Aeso-  
 pus Phryx et Anacharsis Scytha ingenii monu-  
 menta

mentis immortalem sibi parare potuerunt nominis famam : cur ego , qui propior doctae sum Graeciae , vecors et iners patriae gloriam tueri non auderem ? Thraces magni profecto faciunt scriptores suos , et Linum celebrant , Apollinis filium , Musaque parente illustrem Orpheum , qui cantus incomparabili suauitate saxa ferasque mouit , et cursum vehementiorem Hebrus in Thracia fluuii retardare potuit. Procul ergo hinc , procul esto omnis liuor : ne frustra te maceres , artusque rumpas : a posteris quoniam ego mihi certam promitto laudem. Vt ego te voluptatis atque commodorum spe indubia ad lectionem fabularum pellexi : obsecro te , nobilis Eutyche , vt candor tuus multis iam rebus mihi cognitus et perspectus fuit , sincerum quoque et minime fucatum iudicium , et quid de libellis meis sentias , ingenue mecum communicare velis.

## F A B. I.

*Anus ad amphoram.*

Anus iacere vidit epotam amphoram,  
 Adhuc Falerna fece et testa nobili  
 Odorem quae iucundum late spargeret.  
 Hunc postquam totis auida traxit naribus :  
 O suavis anima ! quale in te dicam donum §  
 Antehac fuisse ; tales cum sint reliquiae ?  
 Hoc quo pertineat , dicet , qui me nouerit.

*Optima studia iuuentutem agunt , senectutem  
 oblectant.*

Anus vas conspicit omni exhaustum vino :  
 D 2 quod

quod Falerna fece tinctum seruabat odorem  
 longe suauissimum, et eum late, ad insignem  
 excitandam voluptatem, spargebat. Hunc  
 postquam auida totis naribus hausit: o dulcis  
 euaporatio! inquit, quam antehac te oportet  
 fuisse bonam, cum tales etiamnum reliquiae  
 supersint. Haec quare dicantur, facile pa-  
 tet illis, qui me penitus norunt.

## F A B. II.

*Panthera et Pastores.*

Solet a despectis par referri gratia.

Panthera imprudens olim in foueam decidit.  
 Videre agrestes, alii fustes congerunt,  
 Alii onerant faxis: quidam contra miseriti,  
 Periturae quippe, quamuis nemo laederet, 5  
 Misere panem, vt sustineret spiritum.  
 Nox infecuta est, abeunt securi domum,  
 Quasi inuenturi mortuam postridie.  
 At illa vires vt refecit languidas,  
 Veloci saltu fouea sese liberat, 10  
 Et in cubile concito properat gradu.  
 Paucis diebus interpositis, prouolat,  
 Pecus trucidat, ipsos pastores necat,  
 Et cuncta vastans saeuit irato impetu.  
 Tum sibi timentes, qui ferae pepercerant, 15  
 Damnum haud recusant, tantum pro vita rogant.  
 At illa, memini, qui me saxo petierint,  
 Qui panem dederint: vos timere absistite:  
 Illis reuertor hostis, qui me laeserant.

*lacentes noli laceessere potentes.*

Vt plurimum etiam ab illis, quos despici-  
 mus

mus, ac laedere quouis modo non veremur, par pari refertur, et vindicta semper parata est, aut gratia. Erroris incauta incidit aliquando in foueam panthera. Quod cum rustici viderent: belluam fustibus alii petunt; alii faxis obruunt: alii misericordia e contrario commoti, quod in praesenti versaretur vitae periculo, quamuis in agone laederet eam profusus nemo; ut subuenirent misere interiturae, panem obiciunt. Sol occasus securum monet quemque, ut abiret domum: cum postridie mortuam in fouea sperarent omnes reperire pantheram. At illa, viribus ex pane et quiete collectis, e fouea magno exsiliens impetu, semet captiuitate liberat, ac celeri cursu laeta recuperat cubile suum. Paucis post diebus, iniuriarum memor, ad vindictam prorumpit, pecudum dissipat laniatque greges, ipsos enecat pastores, saeua vbique grassatur strage, flagransque ira in regionibus illis depopulatur omnia. Cum, in eo gentis communi terrore atque tremore, etiam illi timerent sibi, qui saevienti nunc, et paulo ante captivae pepercerant ferae: atque adeo nihili facientes damnnum, supplices a panthera victrice peterent vitam: probe sum, respondet illa, hominum memor, qui cum in angustiis essem misera, plagis me lapidibusque vexarunt; et qui beneficiis contra me voluerunt ornare. Vos ergo nolite timere: illis tantum reuertor hostis, qui adeo me nuper abiectam laedere non dubitarunt.

D 3

F A B.

## FAB. III.

*Aesopus et Rusticus.*

Vsu peritus hariolo velocior  
 Vulgo esse fertur: caussa sed non dicitur,  
 Notescet quae nunc primum fabella mea.  
 Habenti cuidam pecora pepererunt oves  
 Agnos humano capite. Monstro exterritus,  
 Ad consulendos currit moerens hariolos.  
 Hic pertinere ad domini respondet caput,  
 Et auertendum victima periculum.  
 Ille autem affirmat, coniugem esse adulteram,  
 Et infitios significari liberos: 10  
 Sed expiari posse maiori hostia.  
 Quid multa? variis diffident sententiis;  
 Hominisque curam cura maiore aggrauant.  
 Aesopus ibi stans, naris emunctae senex,  
 Natura nunquam verba cui potuit dare: 15  
 Si procurare vis ostentum, Rustice,  
 Vxores, inquit, da tuis pastoribus.

*Spernere noli praecepta prudentum.*

Qui usu et experientia doctus, vulgo dicitur  
 ingenio ipsos etiam hariolos vincere, qui con-  
 iectura didicerunt omnia consequi. Vnde-  
 nam vero dictum istud sit natum, primo se-  
 quenti fabula demonstrabitur. Rustico cui-  
 dam oves olim pepererant agnos humano ca-  
 pite. Monstro perterritus atque subtristis ha-  
 riolos consulit, quid rei futurum istud porten-  
 det sibi. Respondet ex hariolis alius, in capite  
 quod monstrum esset, agi iam de domini sa-  
 lute: suadet ergo, ut victima periculum auer-  
 tere

tere studeat. Alius, coniugem significari adulteram esse, et sobolem procreari nefario scelere: quod maiori hostia nunc expiandum esset. Alius alio videri volebat coniicere melius. Diuersae erant sententiae; atque ex eo dissensu homo sollicitus magis et incertus relinquebatur. Forte fortuna illi subuenit Aesopus, ille sagacissimo praeditus ingenio senex, qui non facile passus est sibi rerum externa specie imponi. Si non vis, inquit, posthac ostentis vexari, pastores tuos fac sese vxoribus iungant.

## FAB. IV.

*Simii Caput.*

Pendere ad lanium quidam vidit simium  
 Inter reliquas merces atque obsonia.  
 Quaesivit, quidnam saperet? Tum lanius iocans,  
 Quale, inquit, caput est, talis praestatur sapor.  
 Ridicule magis hoc dictum, quam vere aestimo:  
 Quando et formosos saepe inueni pessimos:  
 Et turpi facie multos cognoui optimos.

*Multi videntur, et non sunt.*

Apud lanium inter reliquas merces et obsonia vidit aliquis pendere simium, et quaesivit, quomodo saperet ille. Tum lanius iocans, cernis utique, inquit, lepidum esse caput: oportet ergo, si quid praestare possum, ut lepide sapiat. Sed illud iocose magis, quam vere dictum esse puto. Nam et formosos saepius pessimos, deformes contra optimos fuisse, deprehendi.

## FAB. V.

*Aesopus et petulans.*

SUCCESSUS ad perniciem multos deuocat.

Aesopo quidam petulans lapidem impegerat,  
 Tanto, inquit, melior. Assem deinde illi dedit.  
 Sic profecutus: Plus non habeo mehercule,  
 Sed vnde accipere possis, monstrabo tibi. f  
 Venit ecce diues et potens: huic similiter  
 Impinge lapidem, et dignum accipies praemi-  
 Persuasus ille, fecit, quod monitus fuit. (um.  
 Sed spes fefellit impudentem audaciam:  
 Comprehensus namque poenas persoluit cruce.

*Petulantia ad exitium ruit.*

Si res malis ex animi sententia succedunt,  
 impunitatis spe et maiori audacia ad exitium  
 ruunt. Petulans quidam lapidem in Aesopum  
 coniecerat. Hic propter facinus illum laudat,  
 mox et asse, quod pergeret cumulare iniuriam,  
 laetus donat. Semet vltius cum prosequi  
 vellet: equidem aeris, inquit, nihil habeo am-  
 plius: sed ostendam tibi, a quo maiora possis  
 accipere dona. Venit ecce ille diuitiis abun-  
 dans et auctoritate conspicuus: poteris, si lu-  
 bet, istum petere lapidibus: et dignum factis  
 reportabis pretium. Haud difficulter nequam  
 sibi passus est persuaderi, eumque laedit pari  
 modo. Spes autem pueri fefellit audaciam:  
 qui prehensus, propter immoderatam licenti-  
 am, vltimo supplicio affectus est.

## FAB. VI.

*Musca et Mula.*

Musca in temone fedit, et mulam increpans,  
 Quam tarda es? inquit, non vis citius progredi?  
 Vide, ne dolone collum compungam tibi.

Respondit illa: verbis non moueor tuis;  
 Sed istum timeo, sella qui prima sedens,  
 Iugum flagello temperat lento meum,  
 Et lora frenis continet spumantibus.

Quapropter aufer friuolam insolentiam:  
 Namque vbi strigandum est, et vbi currendum,  
 Hac derideri fabula merito potest, (scio.  
 Qui sine virtute vanas exercet minas.

*A miseris frustra iactatur iracundia.*

Musca, currus parte eminentiori sedens,  
 mulam increpat: quam tarda nunc es, et lan-  
 guida? visne citius progredi, et cauere tibi,  
 ne irata cessantis collum acrius rostro et pro-  
 boscide pungerem? Respondet mula: vana  
 tua est, bestiola abiectissima, sine viribus ira.  
 Sed illum me audire ac timere oportet, qui, loco  
 in curru mihi proximo sedens, iugum lento  
 flagello temperat, frenisque ad spumam vsque  
 oris me cohibet, celerius vt incedere nequeam.  
 Apage miserrima, tuamque stultam omitte  
 arrogantiam. Ego enim ipse melius, vbi ces-  
 sandum, et vbi properandum, scio. Hac  
 fabula deridentur omnes, qui viribus destituti  
 iracundiam iactant suam minasque inanes.

## FAB. VII.

*Canis et Lupus.*

Quam dulcis sit libertas, breuiter proloquar.

Canis per pasto macie confectus lupus

Forte occurrit. Salutantes dein inuicem

Vt restiterunt, vnde sic quaeso nites?

Aut quo cibo fecisti tantum corporis?

Ego, qui sum longe fortior, pereoo fame.

Canis simpliciter: eadem est conditio tibi,

Praestare domino si par officium potes.

Quod? inquit ille. Custos vt sis liminis,

A furibus tuearis et noctu domum.

Ego vero sum paratus: nunc patior niues

Imbresque, in siluis asperam vitam trahens.

Quanto est facilius mihi, sub tecto viuere,

Et otiosum largo satiari cibo?

Veni ergo mecum. Dum procedunt, aspicit

Lupus a catena collum detritum canis.

Vnde hoc, amice? Nihil est. Dic quaeso tamen.

Quia videor acer, alligant me interdium, (rit.

Luce vt quiescam, et vigilem, nox quum vene-

Crepusculo solutus, qua visum est, vagor.

Affertur vltro panis; de mensa sua

Dat ossa dominus; frustra iactat familia;

Et, quod fastidit quisque, pulmentarium.

Sic sine labore venter impletur meus.

Age, si quo abire est animus, est licentia?

Non plane est, inquit. Fruere, quae laudas, canis.

Regnare nolo, liber vt non sim mihi.

*Non sit alterius, qui suus esse potest.*

Libertas quam iucunda sit, paucis eloquar.

Lupus

Lupus macie deformis obuiam fortē venit bene pasto et speciem prae se ferenti insignem cani. Salutantes inuicem sese vt restiterunt: lupus, dic quaeso, inquit, vnde corporis tibi tantus nitor et habitus? Quibusue cibus tantam tibi dignitatem parauisti? Te adeo pinguem et splendidum esse miror: cum ego, qui longe sum fortior, non modo tam obesus non sum, verum etiam ad deformitatem vsque excrucior fame. Canis nihil dissimulans, eadem, inquit, vitae esset ratio tuae: idem si posses domino mecum praestare officium. Quodnam sciscitatur lupus. Hoc scilicet, canis respondet, faciendum tibi, vt fidelis aedium sis custos, noctuque domum a furibus tuearis: eadem mecum si velis conditione vti. Equidem, affirmat lupus, ad id muneris subeundum paratissimus sum. Qui vitam in siluis nunc asperam miseramque inter deserta ferarum lustra et domos traho, niuesque saepius et imbres famelicus perfero: quanto minori negotio sub tecto agerem otiosus, vt malorum auerterem insidias, et ipse interea temporis probe saginandus indulgerem gulae? Propere ergo mecum veni. In itinere lupus canis aspicit collum a catena detritum: et hoc vnde tibi, amice, signum? quaerit. Res haec est nullius momenti. Dic tamen obsecro, vnde euenerit tibi. Quia, respondet, domino videor esse acrior: interdium me alligat, vt vinculis detentus quiescerem; noctu vero solutus vigilantior essem atque alacrior. Tum pro  
lu-

lubitu diuagari licet. Stato mihi tempore afferunt panes: dominus ossa, et siquid de mensa residuum, suauiter porrigit lusu: tota familia, quoties videtur, cibi partes minutas iactat: et quod quisque fastidit obsonii pultisque apportat. Sic venter meus sine labore ac sollicitudine repletur. Ergo age, si quo iam lubet, mecum ire licebit: ut pari felicitate gaudeas. Lupus vero, displicet, inquit, conditio. Rem tuam tibi habeto, quam adeo commendas: omnibus ego delitiis perfrui nolo, ut perderem, in vita quod habemus, libertatis inaeestimabile bonum.

## F A B. VIII.

*Frater et Soror.*

Praecepto monitus saepe te considera.  
 Habebat quidam filiam turpissimam,  
 Idemque insigni et pulchra facie filium.  
 His speculum, in cathedra matris ut positum fuit,  
 Pueriliter ludentes, forte inspexerant. 5  
 Hic se formosum iactat; illa irascitur,  
 Nec gloriantis sustinet fratris iocos,  
 Accipiens (quid enim?) cuncta in contumeliam.  
 Ergo ad patrem cucurrit laesura inuicem,  
 Magnaque inuidia criminatur filium, 10  
 Vir natus quod rem feminarum tetigerit.  
 Amplexus utrumque ille, et carpens oscula,  
 Dulcemque in ambos caritatem partiens:  
 Quotidie, inquit, speculo vos uti volo:  
 Tu formam ne corrumpas nequitiae malis; 15  
 Tu faciem ut istam moribus vincas bonis.

Non

*Non forma, sed virtus iuuentutem commendat.*

Quod hac fabula adeo commendatur, fac-  
pius temetipsum considera. Fuerat cuidam  
filia deformis, et filius longe omnium pulcher-  
rimus: qui, cum matris e gynaeceo accepif-  
sent speculum, lusu iuuenili inspicientes coe-  
perunt alterius vtrinque faciem atque suam  
componere. Filius formam praedicat suam  
excellentem. Id aegre ferens soror, vanam e-  
ius accusat arrogantiam, et, qua nihil peccan-  
tem se non dubitauerit cumulare, petulantem  
ignominiam. Vindictam ergo vt a fratre su-  
mat, lacrumans patrem adit, multaue istius  
studet proferre crimina; inter alia quidem,  
quod puer iste speculum, feminis proprium,  
contrectarit atque inspexerit. Pater filiam fi-  
liumque amplectitur, osculatur vtrumque, et  
amorem inter natos longe tenerrimum eadem  
suauitate partitur. Quotidie vos, inquit, et  
crebro speculum consulere volo; tu, fili, for-  
mam vt moribus inquinare verearis; tu, mea  
filia, vt, quam natura negauit, gratiam vir-  
tute tibi conciliare studeas.

F A B. IX.

*Socrates ad Amicos.*

Vulgare amici nomen, sed rara est fides.

Quum paruas aedes sibi fundasset Socrates,  
(Cuius non fugio mortem, si famam assequar,  
Et cedo inuidiae, dum modo absoluar cinis)  
E populo sic, nescio quis, vt fieri solet:  
Quaeso tam angustam, talis vir, ponis domum?

Vti-

Vtinam, inquit, veris hanc amicis impleam.

*Nusquam tuta fides.*

Vbique obuium amici nomen est: sed fides rara avis in terra. Socrates tantam sibi sapientia et meritis comparauit nominis famam: vt ego, si gloriam eius liceret assequi, parem fugere nollem vitae finem; ac inuidiae quam iubentissime cederem, si modo mea me absolueret post funera virtus. Summae auctoritatis ille philosophus, optimam ratus esse domum, cui superfluum nihil abundet, ac nihil necessarium desit; cum paruas sibi aedificaret aedes: e vulgo aliquis, vt fieri solet, miratus, quaeso, inquit, tam illustris vir sibi tam angustam cur exstruit domum? At ille, vtinam, respondet, hanc domum veris amicis implere possem.

FAB. X.

*Poeta de Credere et non Credere.*

Periculosum est credere, et non credere.  
 Vtriusque exemplum breuiter exponam rei.  
 Hippolytus obiit, quia nouercae creditum est.  
 Cassandrae quia non creditum, ruit Ilium.  
 Ergo exploranda est veritas multum prius, 5  
 Quam stulta praue iudicet sententia.  
 Sed fabulosa ne vetustate eleuem,  
 Narrabo tibi, memoria quod factum est mea.  
 Maritus quidam quum diligeret coniugem,  
 Togamque puram iam pararet filio, 10  
 Seductus in secretum a liberto suo,  
 Sperante heredem suffici se proximum.

Qui

Qui dum de puero multa mentitus foret,  
 Et plura de flagitiis castae mulieris,  
 Adiecit id, quod sentiebat maxime 15  
 Doliturum amanti, ventitare adulterum,  
 Stuproque turpi pollui famam domus.  
 Incensus ille falso vxoris crimine,  
 Simulauit iter ad villam, clamque in oppido  
 Subfedit, deinde noctu subito ianuam 20  
 Intrauit, recta cubiculum vxoris petens,  
 In quo dormire mater natum iusserat,  
 Aetatem adultam seruans diligentius.  
 Dum quaerunt lumen, dum concursat familia,  
 Irae furentis impetum non sustinens, 25  
 Ad lectum accedit, tentat in tenebris caput.  
 Vt sentit tonsum, gladio pectus tranfigit,  
 Nihil respiciens, dum dolorem vindicet.  
 Lucerna allata, simul aspexit filium,  
 Sanctamque vxorem dormientem cubiculo, 30  
 Sopita primo quae nil somno senserat;  
 Repraesentauit in se poenam facinoris,  
 Et ferro incubuit, quod crudelitas strinxerat.  
 Accusatores postularunt mulierem,  
 Romamque pertraxerunt ad centumuiros. 35  
 Maligna in fontem deprimit suspicio,  
 Quod bona possideat; stant patroni fortiter  
 Causam tuentes innocentis feminae.  
 A Diuo Augusto tunc petiere iudices,  
 Vt adiuuaret iurisiurandi fidem, 40  
 Quod ipsos error implicuisset criminis.  
 Qui postquam tenebras dispulit calumniae,  
 Certumque fontem veritatis reperit,  
 Luat, inquit, poenas, causa libertus mali.

Nam-

Namque orbam nato simul, et priuatam viro 48  
 Miserandam potius, quam damnandam existi-  
 Quod si damnanda perscrutatus crimina (mo.  
 Paterfamilias esset, si mendacium  
 Subtiliter limasset, a radicibus  
 Non euertisset scelere funesto domum. 50  
 Nil spernat auris, nec tamen credat statim. (tes;  
 Quandoquidē et illi peccant, quos minime pu-  
 Et qui non peccant, impugnantur fraudibus.  
 Hoc admonere simplices etiam potest,  
 Opinione alterius ne quid ponderent. 51  
 Ambitio namque dissidens mortalium,  
 Aut gratiae subscribit, aut odio suo.  
 Erit ille notus, quem per te cognoueris.  
 Haec exsecutus sum propterea pluribus,  
 Breuitate nimia quoniam quosdam offendimus.

---

*Priusquam certi constituas aliquid, probe di-  
 iudicanda sunt omnia.*

Credere periculosum est; et non credere  
 item. Vtriusque paucis proponam exemplum.  
 Credulus nisi Theseus fidem habuisset coniugi  
 adulterae, de stupro sibi oblato priuignum ac-  
 cusanti Hippolytum: a patre deuotus hic non  
 interiisset innocens. Et praecauere potuissent  
 excidium Troiae: si Priami filiam voluissent  
 audire Cassandram, cui Apollo quidem vati-  
 cinandi facultatem, sed ea lege, concesserat,  
 ne quisquam ei crederet. Prius ergo omni  
 studio rerum inuestiganda est veritas; quam  
 statuamus aliquid praecipiti consilio. Sed ne  
 quid proferam fabulosum, quod propter ve-  
 tustate

tustatem videri queat: narrabo, quod nostris temporibus accidit, et recenti cuiusque potest haerere memoria. Felix matrimonio cum aliquis amaret coniugem et filium, quem habebat vnicum, quique iam in eo erat, vt togam virilem fumeret: clanculum seducitur in locum secretum a liberto suo, qui impius hereditaria, spe fretus, fore vt in secundis scriberetur tabulis, multa de puero eiusque flagitiis mentitur; pluribus autem castae coniugis impudicitiam accusat, et quod maximam credebatur excitare amantis animi aegritudinem, studet persuadere domino, adulterum alere ac stupri turpitudine insigni veterem domus commaculare gloriam. Dominus incensus ira, vt mulierem in praesenti crimine deprehenderet, in villa peregre varia simulat sibi expedienda negotia; occultans vero sese, oppidum non egreditur, sed, nocte concubia, domus suae subito aperit fores, recta properans in coniugis cubiculum: vbi, quod pater abesset, mater sollicita iusserat filium dormire secum: ne quid peccetur interea temporis aetate adulta. Vltro citroque cursitantibus seruis, vt quaererent praeserrentque domino irruenti lumen; ille furentis irae non sustinens impetum, ad lectum accedit, et contrectando in tenebris explorat, cuius sit caput. Statim atque sentit vultum coma tonsa virilem, pueri securum scelerisque purum gladio transfigit pectus; nullius rei habita ratione, dummodo vindictae cupiditati satisfaceret suae. Allata

tandem lucerna, simul videt se suo sanguine volutantem puerum, atque castam mulierem alto et graui somno sopitam, vt nihil omnino senserit earum rerum, quae tristi casu euenerunt. Ea animi perturbatione miser statim de semetipso supplicium sumsit, et in ferrum incubuit, quod, sua deceptus credulitate, ad tantum scelus patrandum, strinxerat. Sanguinis vindices mulierem in ius vocant, eamque capitis causam ad centum viros Romam deferunt. Innocens muliercula nec suspicione carebat caedis: quod possideret bona. Causarum vero patroni in iudicio pulcherrime stabant, et contra criminationes iniustas dignitatem feminae infantis defendebant atque salutem. Cum res nimis intricata videretur: ab iudicibus ad summum magistratum, diuum Augustum, deferrebat: vt sententia sua subveniret illis, qui religione adacti, secundum leges, ius suum cuique tribuere debebant. Augustus, postquam calumniae tenebras dispulit, et causae veritatem hausit ex fontibus ipsis; ita edixit, Libertus, ille caedis miserandae flagitiosus auctor, iustas luito poenas. Mulierem vero, quae tristi eodem casu filium simul atque maritum amisit, non supplicio, sed misericordia dignam esse iudico. Si paterfamilias accuratius in nefandum liberti scelus inquirere, et examinare mendacia voluisset: tam funesto casu ipse domum suam non extirpasset. Auris nihil temere spernat: vix enim rumor est, quin aliquid subsit: nihil tamen  
prius

prius habeas pro certo, quam clare cognoueris atque distincte. Possunt et illi peccare, quos minime putes: quandoquidem et Curios plurimi simulant, et Bacchanalia viuunt. Neque tam sanctum potest esse quicquam, quod calumnia exagitare non audeat. Hoc simul etiam monet simplices atque incautos erroris, ne ex aliorum sententia pendeant toti. Tanta enim vulgo mortales occupat ambitio: vt gratiae aut odio nimium indulgeant suo. Hunc ergo tibi notum esse credito, quem cognoueris ipse. Pluribus ista iam profecuti sumus: quoniam breuitate nimia quosdam offendimus.

## F A B. XI.

*Eunuchus ad improbum.*

Eunuchus litigabat cum quodam improbo,  
 Qui super obscena dicta, et petulans iurgium,  
 Damnum infectatus est amissi corporis.  
 En, ait, hoc vnum est, cur laborem validius,  
 Integritatis testes quia defunt mihi.  
 Sed quid fortunae stulte delictum arguis?  
 Id demum est homini turpe, quod meruit pati.

*Quod abest a culpa, ferendum.*

Cum Eunuchus litigabat homo improbus,  
 qui iurgiopetulanti, praeter conuicia multa  
 alia, illi exprobrabat, quod castratus sit, par-  
 temque amiserit corporis. Huic vero Eunu-  
 chus respondet: istud quidem ex tot crimini-  
 bus, quae mihi obiicis, vnum est, quod me  
 valde sollicitat, integritatis testes deficere mihi.  
 Sed heus tu, quid stulte vitio vertis mihi de-  
 lictum

lictum fortunæ? Nihil homini turpe, nisi quod meruit ipse pati: ecquid enim est, quod praeter culpam, praestare debet?

F A B. XII.

*Pullus ad Margaritam.*

In sterquilinio pullus gallinaceus  
Dum quaerit escam, margaritam reperit.  
Iaces indigno, quanta res, inquit, loco.  
Hoc si quis pretii cupidus vidisset tui:  
Olim redisses ad splendorem maximum. §  
Ego, qui te inueni, potior cui multo est cibus,  
Nec tibi prodesse, nec mihi quicquam potes.  
Hoc illis narro, qui me non intelligunt.

*Quo mihi fortunam: si non conceditur uti?*

Dum pullus gallinaceus in sterquilinio escam quaerit, forte margaritam reperit. Eam ergo considerans, tam pretiosa res, inquit, quam indigno hic iaces loco. Si te obtinuisset, qui tui et diuitiarum est cupidus: pristinam procul dubio tuam potuisses recuperare dignitatem atque splendorem. Sed ego te inuenio frustra, cui longe iucundius fuisset tritici granum: neque enim ego tibi, neque tu mihi prodesse potes. Hoc illis dictum esto, qui me non intelligunt.

F A B. XIII.

*Apes et Fuci, Vespa iudice.*

Apes in alta quercu fecerant fauos.  
Hos fuci inertes esse dicebant suos.  
Lis ad forum deducta est, vespa iudice.  
Quae genus vtrumque nosset cum pulcherrime  
Legem

Legem duabus hanc propofuit partibus: 5  
 Non inconueniens corpus, et par est color:  
 In dubium plane res vt merito venerit.  
 Sed ne religio peccet imprudens mea,  
 Alueos accipite et ceris opus infundite:  
 Vt ex sapore mellis, et forma faui, 10  
 De quis nunc agitur, auctor appareat.  
 Fuci recusant: Apibus conditio placet.  
 Tunc illa talem fustulit sententiam:  
 Apertum est, quis non possit, aut quis fecerit.  
 Quapropter apibus fructum restituo suum. 15  
 Hanc praeteriissem fabulam silentio,  
 Si pactam fuci non recusassent fidem.

*Artis nil cedit inerti.*

Apes in sublimi quercu assiduo labore fecerant fauos, cellasue sibi coagmentatas sexangulas. Has fuci inertes sibi vindicare studebant. Controuersia in foro cum diu agitata esset: vespa iudex, quae omnium optime nouit, qualis obseruetur genus inter vtrumque differentia, hoc modo partes voluit componere litigantes, atque dirimere causam. Aequalia fere sunt apum et fucorum corpora, color etiam est corporum vtrorumque idem: vt merito res in dubium venire possit: sed imprudens ne contra ius iurandum peccare viderer, et melius de causa constaret mihi: sumite vobis alueos, atque mel in cellulas infundite cereas: vt ex forma et sapore constaret, apesne, an fuci, aedificarint fauos, de quibus iam agitur. Conditionem apes cum acciperent, recusarent fuci:

hanc confestim sententiam edixit : quando-  
quidem nunc satis apparet , a fucis tam nobile  
opus non potuisse produci , iure meritoque il-  
lis , a quibus profectum , restitui debet. Fa-  
bulam hanc silentio praeteriissem : si , qui in  
orbe literato sunt fuci , pactam non recusarent  
fidem.

## FAB. XIV.

*Aesopus ludens.*

Puerorum in turba quidam ludentem Atticus  
Aesopum nucibus quum vidisset , restitit,  
Et quasi delirum risit. Quod sensit simul  
Derisor potius , quam deridendus senex.  
Arcum retensum posuit in media via :  
Heus, inquit, sapiens, expedi, quid fecerim.  
Concurrit populus. Ille se torquet diu,  
Nec quaestionis positae causam intelligit:  
Nouissime succumbit. Tum victor sophus:  
Cito rumpes arcum, semper si tensum habueris:  
At si laxaris, quum voles, erit utilis.  
Sic ludus animo debet aliquando dari,  
Ad cogitandum melior ut redeat tibi.

*Amant alterna Camoenae.*

Cum Athenis quidam, in puerorum turba,  
Aesopum vidisset ludere nucibus : senem pue-  
rilia tractare miratus, restitit, ac risit, eum us-  
que adeo insanire. Semet vero prius ipsum  
sensit insanire derisor, quam deridendus se-  
nex. Hic tensum ante arcum in via media  
ponit laxatum : et heus, inquit, sapiens, dic  
breuibus et aperte, quid ego tibi hac re de-  
mon-

monstratum velim. More solito conuolat vulgus, visum auditumque noua, quae referre possit. Nasutulus vero ille rem diu multumque animo versat, neque, cur eam sibi quaestionem proposuerit, intelligere potest. Victas extremo porrigit manus. Adeo tandem sapiens, reportata victoria, arcum, inquit, cito franges; eum si semper intensum habebis: contra, si laxaueris, promptus erit continuo, quum postulat vsus. Sic animus interdum laxandus est iocis: vt viribus instructior, quum voles, esset ad cogitandum paratus.

FAB. XV.

*Canis ad Agnum.*

Inter capellas agno balanti canis,  
 Stulte, inquit, erras, non est hic mater tua.  
 Ouesque segregatas ostendit procul. (pit,  
 Non illam quaero, quae cum libitum est, concidi-  
 Dein portat onus ignotum certis mensibus, s  
 Nouissime prolapsam effundit sarcinam;  
 Verum illam, quae me nutrit admoto vbere,  
 Fraudatque natos lacte, ne desit mihi.  
 Tamen illa est potior, quae te peperit. Non ita est.  
 Vnde illa sciuit, niger, an albus nascerer? 10  
 Age porro scisset: quum crearer masculus,  
 Beneficium magnum sane natali dedit,  
 Vt exspectarem lanium in horas singulas.  
 Cuius potestas nulla in gignendo fuit,  
 Cur hac sit potior, quae iacentis miserita est, 15  
 Dulcemque sponte praestat beneuolentiam?  
 Facit parentes bonitas, non necessitas.

E 4

His

His demonstrare voluit auctor versibus,  
 Obfistere homines legibus, meritis capi.

*Amore conciliatur amor.*

Balans quaerensque matrem cum inter capellas versaretur agnus: stulte, inquit canis, nusquam hic tuam inuenies matrem, quae procul hinc forsitan, ouium ubi pascuntur greges, facilius tibi venire obuiam posset. Non, respondet agnus, non ego illam quaero, quae suorum immemor pro lubitu concipit, certisque mensibus reconditum vtero gestat onus: quod ubi posuerit, parum sollicita discedit, num istud velit aliquis excipere cadens atque sinu fouere. Illam, amice, quaero, quae a teneris me perquam liberaliter nutriens, balatum secuta alieno indigenti beneficio statim vbera admouet mihi; suisque lactis tantundem adimit, quanto posset subuenire misello. Attamen cariorum oportet esse illam, quae te peperit. Profecto non est. A partu me illa ne respexit quidem, ut colorem viderit, parum sollicita, albus an ater sim natus. Vel etiam illo si me dignata fuisset aspectu, cum in lucem editus essem masculus, egregium sane mihi beneficium reliquit natali: ut lanio quotidie expectandus fuerit, qui victimam suspenderet me foetum dulciorem matris, cuius me sane, utrius vellet sexus, efformandi fuit nulla potestas. Cur ergo quae ita me enixa fuit, mihi carior esset illa, quae amoris tenerrimo sensu me proiectum et conditione miserrima iacentem

tem suscepit, etiamnum matris sustinet vices,  
suaque sponte me penitus beneficiis cumulat.  
Sic sane beneuolentia, non necessitas, parentes  
facit. Hac fabula auctor demonstrare voluit,  
homines ut plurimum contra leges et praece-  
pta niti, multo vero magis indulgentia et bene-  
ficiis, quae inter educatio praecipue numera-  
tur et institutio, capi.

## F A B. XVI.

*Cicada et Noctua.*

Humanitati qui se non accommodat,  
Plerumque poenas oppetit superbiae.  
Cicada acerbum noctuae conuicium  
Faciebat, solitae victum in tenebris quaerere,  
Cauoque ramo capere somnum interdiu. 5  
Rogata est, ut taceret. Multo validius  
Clamare coepit. Rursus admota prece,  
Accensa magis est. Noctua ut vidit sibi  
Nullum esse auxilium, et verba contemni sua,  
Hac est aggressa garrulam fallacia: 10  
Dormire quia me non sinunt cantus tui,  
Sonare cithara quos putes Apollinis,  
Potare est animus nectar, quod Pallas mihi  
Nuper donauit, si non fastidis, veni;  
Vna bibamus. Illa, quae ardebat siti, 15  
Simul cognouit vocem laudari suam,  
Cupide aduolauit. Noctua egressa cauo,  
Trepidantem confectata est, et letho dedit.  
Sic viua quod negarat, tribuit mortua.

*Conuiciis quemquam proscindere noli.*

Si quis humanitati non studet, ut plurimum

E s

fibi

fibi exitium insolentia parat. Noctuae cicada crebro conuicium longe acerbissimum faciebat, quod luminis impatiens noctu ageret praedas; interdiu vero somnum caperet ramis arborum cauis. Rogata vt taceret, clamans multo magis iniurias cumulat. Iterantur preces, parcere aliis, atque sibi cauere velit. Tanto vero illa magis exacerbatur et dicteria repetit. Noctua, vt vidit, nullum gratiae aut precibus relinqui locum, impudenter deblaterantem infidiis aggreditur. Quia, inquit, dormire iam non possum, captus mira cantus tui suauitate, qui prorsus Apollinis cithara mihi resonare videtur: nectar interea temporis degustare perplacet, quod Palladis liberalitate nuper accepi. Nisi fastidio spernis, veni ad me, vt bibere possimus vna. Cicada, quae cantu pene fatigata, longe maximam sentiebat sitim, suaque sibi placebat laudata voce, ad computationem cupide properat. Noctua vero fatis adhuc conuiciis laesa, cauo, vbi latitabat, egreditur ramo, miseramque bestiolam, voce, alis, pedibus, ac toto corpore trepidantem arripit ac enecat: vt, quod viua negarat, fileret tandem, atque sibi exoptatum adeo concederet otium.

## FAB. XVII.

*Arbores in Deorum tutela.*

Olim quas vellent esse in tutela sua,  
 Diui legerunt arbores. Quercus Ioui,  
 Et myrtus Veneri placuit, Phoebus laurea,

Pinus Cybelae, populus celsa Herculi.  
 Minerua admirans, quare steriles fumerent, 5  
 Interrogauit. Caussam dixit Iupiter:  
 Honore fructum ne videamur vendere.  
 At me hercule narrabit, quod quis voluerit,  
 Oliua nobis propter fructum est gratior.  
 Tunc sic Deorum genitor, atq; hominum sator:  
 Onata! merito sapiens dicere omnibus:  
 Nisi vtile est, quod facimus, stulta est gloria.  
 Nihil agere, quod non profit, fabella admonet.

*Res optime commendat vsus.*

Dii olim arbores elegerunt, quas haberent in tutela perpetuo sacras sibi. Quercum sumsit Iupiter, myrtum Venus, lauream Apollo, pinum Cybele, populum Hercules. Sed Minerua quid egerint admirata, quaesiuit tandem, cur sibi elegerint arbores, quarum fructus ipsis nihil prodesse queant. Caussam hanc Iupiter esse dixit, quod suus cuique sufficeret honos, atque gratis superum quisque arborem patrocinio mallet dignari suo. At illa: quicquid quisque dicat; oliua mihi vel propter fructus iucundior longe. Tum Iupiter, o filia! inquit, tu recte sapis, ac merito soles ab omnibus annumerari doctis, artibus praefecta ingenuis. Nisi enim, quae agimus, commodi nobis aliquid affert, stulta et inanis reputanda est gloria. Haec fabula docet, eum fumendum esse laborem, ex quo fructus in nos cum laude coniuncti redundant.

## FAB. XVIII.

*Pauo ad Iunonem.*

Pauo ad Iunonem venit, indigne ferens,  
 Cantus luscini quod sibi non tribuerit:  
 Illam esse cunctis auibus admirabilem,  
 Se derideri, simul ac vocem miserit.  
 Tunc consolandi gratia, dixit Dea:  
 Sed forma vincis, vincis magnitudine;  
 Nitor Smaragdi collo praefulget tuo,  
 Pictisque plumis gemmeam caudam explicas.  
 Quo mi, inquit, mutam speciem, si vincor sono?  
 Fatorum arbitrio partes sunt vobis datae, 10  
 Tibi forma, vires aquilae, luscini melos,  
 Augurium coruo, laeua cornici omina,  
 Omnes quae propriis sunt contentae vocibus.  
 Noli affectare, quod tibi non est datum:  
 Delusa ne spes ad querelam recidat. 15

*Donis gaudeat quisque suis.*

Pauo Iunonem adit, multumque de luscini-  
 nae cantu conquestus, quod Dea sibi negauerit:  
 auiculam, dicit, illam summis vbiq̄ue ef-  
 ferri laudibus; se contra despiciatui habitum  
 fastidiri, quamprimum vocem ediderit. At  
 Iuno alitem vt consolaretur suam, tu contra,  
 inquit, forma praestas omnibus, ac insigni cor-  
 poris magnitudine. Tanta collo tuo praeful-  
 get species, quae ipsum smaragdi nitorem lon-  
 ge superat: et quoties lubet versicolore quasi  
 tot gemmis distinctam oculatamque potes in  
 gyros explicare caudam. Atqui muta species  
 illa quid me iuuare potest? Adeone frustra  
 vide

videris tribuisse mihi tantam prae ceteris elegantiam formae: cum ea destitutus sim voce, quae genus auium in primis commendat. Ne quis fortiretur omnia solus: sic fuit in fatis, ut in ea donorum distributione consulto suae cuique partes tribuerentur. Tu formae praestantiam obtinuisti. Aquilae honos et maxima vis est. Lusciniae concessa vocis suauitas. Coruus augurium prae se fert, atque cornix laeua omina. Atqui aues istae omnes sua sorte, voce, bonisque contentae viuunt. Res alienas concupiscere noli, quas prima parens natura negauit: alioqui spes vana te fallet, et querelarum caussa tibi perennis erit.

## FAB. XIX.

*Aesopus ad Garrulum.*

Aesopus domino solus cum esset familia,  
Parare coenam iussus est maturius.  
Ignem ergo quaerens, aliquot lustrauit domos;  
Tandemq; inuenit, vbi lucernam accenderet.  
Tum circumeunti fuerat quod iter longius, &  
Effecit breuius: namque recta per forum  
Coepit redire. Et quidam e turba garrulus,  
Aesope, medio sole, quid cum lumine?  
Hominem, inquit, quaero, et abiit festinans do-  
Hoc si molestus ille ad animum retulit, (mum.  
Sensit profecto, se hominem non visum seni,  
Intempestiue qui occupato alluserit.

*Humanitatis raro videmus praestari officia.*

Cum praeter Aesopum dominus alium non haberet seruum, et coenare solito vellet citius: ignem

ignem ille quaerens frustra aliquot aedibus,  
 inuenit tandem prunam velatam fauilla, vt  
 accenderet lucernam. Redit ergo, vt tempus  
 lucrari posset, quod circumeundo perdiderat,  
 breuiori via, eaque recta per forum. Tum  
 garrulus quidam e turba populi, Aesope, in-  
 quit, cur medio sole ambulas cum luce? Ho-  
 minem, respondet, quaero: graduque citato  
 abit domum. Hoc si molestus ille animadu-  
 tere et expendere voluisset: procul dubio in-  
 tellexerit, se philosopho seni hominem visum  
 non esse: quod prudentia destitutus haud  
 oportuno tempore iocari voluerit: cum Aeso-  
 pus intentus esset rebus seriis, atque domum  
 properaret.

## FAB. XX.

*Asinus et Galli.*

Qui natus est infelix, non vitam modo  
 Tristem decurrit, verum post obitum quoque  
 Persequitur illum dura fati miseria.

Galli Cybebes circum quaestus ducere  
 Asinum solebant, baiulantem sarcinas.

Is quum labore et plagis esset mortuus,  
 Detracta pelle, sibi fecerunt tympana.

Rogati mox a quodam, delicio suo

Quidnam fecissent? hoc locuti sunt modo:

Putabat se post mortem securum fore,

Ecce aliae plagae congeruntur mortuo.

*Miserrimus, quem sua manet post obitum miseria*

Qui, ad subeundas calamitates suas, infausto  
 fidere natus, per vitam non solum miser est

attentione maiori lusus cognoscere nostros: mirum, quantum sub illis tibi commodum, quantumque vtilitatem promittere possis. Res aliquando longe se aliter habent, atque videntur: primo intuitu fallunt plurimos. Frons, oculi, vultus, quibus facillime sustinetur simulatio, saepe mentiuntur: et raro intelligunt homines, quid industria et sollicitudo interioribus locis occultauerit. Quod ne frustra dixisse videar: fabellam de mustela et muribus narabo.

FAB. I.

*De Mustela et Muribus.*

Mustela quum annis et senecta debilis  
 Mures veloces non valeret assequi:  
 Inuoluit se farina, et obscuro loco  
 Abiecit negligenter. Mus, escam putans,  
 Assiluit, et compressus occubuit neci.  
 Alter similiter, deinde periit tertius.  
 Aliquot secutis, venit et retorridus,  
 Qui saepe laqueos et muscipula effugerat,  
 Proculque insidias cernens hostis callidi,  
 Sic valeas, inquit, vt farina es, quae iaces.

*Fallit externa species saepe rerum incautos.*

Mustela, cum senectute confecta musculos non posset arripere veloces, farina exterius ita se volutando opleuit, vt tota videretur esse farina; et obscuro se abdidit loco, ac si res nullius pretii negligentius asseruata esset. Mus, reputans escam ibi se largam reperisse, laetus exultansque praeda, accedit atque mox comprehensus enecatur. Pari modo et alios corripuit erroris incautos, et esca potiri haud